

F. R. 104.

Cum

70.

Ze  
2905

*Illustris ac Excellentissimus*

DOMINUS,

**DN. Gotthelf Friederich**

à **SCHÖNBERG,**

In Ober- und Nieder-Biberstein / Nieder-  
Lochwitz & Trebitz &c.

Serenissimi ac Potentissimi Electoris Saxoniae Con-  
filiarius intimus, Judicii Appellationum Praeses emi-  
nentissimus, nec non redituum Provincialium Prae-  
fectus Summus,

*Illustrem ac Generosissimam*

DOMINAM,

**DOMINAM SABINAM**

**ELISABETHAM,**

Divi Illustris DNI. VITZTHUMII

DE ECKSTEDT

Relictam Viduam,

natam

ex

Illustri MAXENORUM Familia,

nuperrimè Budissae Superioris

Lusatiae nuptam,

Favente Numine Divino,

domum duceret,

Obsequiosissimam observantiam suam

exhibiturus,

applauderet

*Illustris Ipsius Excellentiae*

Devotissimus coram Deo

Intercessor, & humillimus Servus,

**D. DAVID WENDELER, h. t. Præp.**

& Super. Kemberg.

**WITENBERGÆ,**

Typis CHRISTIANI SCHRÖDTERI, Acad. Typ.



*Perillustris ac Excellentissime Domine,  
Domine gratiosissime,*

**I**lluxit iterum ille dies, quo, id quod Dei solius inenarrabili bonitati atque clementiae imputandum erit, postquam ferme ab hinc duobus annis vehementi ira in Te fortuna ita grassata est, ut, quanquam multa inflixerit vulnera, per obitum acerbissimum Conjugis omni laude majoris ipsam animam petiisse videretur, medelam rursus atque recreationem accepisti, Tuisque ingentibus animi moeroribus summum levamentum percepisti, dum inter Te, illustris Domine, ac Illustram SABINAM ELISABETHAM VIZTHUMIANAM ex Generosissima MAXENORUM familia ortam, ingentis exempli Foeminam, omnibusque illis virtutibus, quae Illustres atque Generosas Familias sexus sequioris comitari solent, ornatissimam, felicissimum atque sanctissimum foedus sancitum atque consummatum fuit matrimoniale. Tenenda itaque sunt vota Nostra, Perillustris ac Excellentissime Domine, tenenda vota nostra, quia jam duxisti Tuam Conjugem Generosissimam juxta ac exoptatissimam, pro qua solliciti haecenus votis nostris ac precibus dies noctesque aeternum fatigavimus Numen. Si secundum illud Syracidis \* omnium virtutum generibus ornata mulier reddit viro laetitiam, & annos vitae illius implet prosperitate, taleque donum erit aestimandum, quod illis, qui Dominum timent, ab eo dabitur: quid precandum à Deo immortali potius erit clientibus, quam ut Patroni, Praesidia, Fulcra, Ornamenta & Decora patriae ejusmodi felicitatis atque recreationis participes fiant? Cum autem in Potentissimum ELECTOREM SAXONIAE, Dominum clementissimum, reflecto oculos, cum patriam cogito, cum studia nostra, Musas ac Ecclesiam respicio, merito Te, Illustrissime Domine, Domine, gratiosissime, Aulae SAXONICAE florem ac decus, cothurno eloquentiae prudentis Periclem, Aristidem justitiam, Phocionem probitate magnitudine animi atque constantiam Catonem nostri temporis vocare licebit. Igitur illa Tua gravissima eademque quamplurima negotia, quibus pro salute Patriae excubas, sicuti saepius animo Tuo Illustri in-

gentes

\* Cap. XXVI. 2. 3. 4.

gentes tempestates afferre solent; ita Illustrissima Tua, SABINA ELISABETHA, HEROINA celebratissima properabit ad Te, ut Tibi sollicitudinem demat, Tibi curarum levamentum afferat, Tuæque adeo valetudini advigilet omnibus temporibus: tum si quid ureret fortè ac gravaret, efficacissimis alloqviorum Gratiis lenire atque tollere studebit. Et qui aliter fieri potest? Contigit enim Tibi Clarissima uxor, quæ lux & gloria foeminarum merito dicitur. Jactent Judæi suam Abigail, Aspasiam Græci celebrent, Lucretiam Grachasque Romanæ decantent literæ: nihil erubescimus; habemus & nos in DITIONUM SAXONICARUM Profapiis, Genere ac virtutibus maxime conspicuas ejusmodi Foeminas, quas ostendere possumus ac prædicare. Omnes ac singuli qui videbunt Illustrem SABINAM ELISABETHAM SCHÖNBERGIANAM, semper splendorem natalium hincque maximarum virtutum æmulum: lumen maximè radians submissè celebrare obstrictæ erunt. Ipsa enim & prudentiâ Abigail & honestate Aspasiam & prudentia ac disciplinâ Lucretiam Grachasque si non vincat, tamen æquare dicenda erit. Pietate verò & religione animo tantò omnibus major existit, quanto omni præconio præstantius est, esse Christianam. O diem exoptatissimum, ô diem lætissimum, quò illud Nobilissimum PAR CONJUGUM admirandum omnibus, solis felicioribus imitandum à Numine Divino fuit conjunctum! Quod super est, Deus vos servet! Exoptatissimum PAR CONJUGUM, Idea sanctissimi fratris sororisque; propter incredibilem amorem sociale contubernii, Humani Generis delictum! Ego inter subjectissimos cultores Vestros gradu & censu plerisque impar, animo & affectu vix ulli secundus, nil quidquam aliud coram Vobis deponere possum, quam simplex votum, quo uno vota universa bonorum omnium, salus & incrementa Generosissimarum Familiarum, spes & gaudium Vestrorum clientum continentur. Scilicet Deum O. M. veneror ex intimis sensibus atque obtestor, ut Te, Illustrissime Domine à SCHÖNBERG, Consiliarie intime atque Supremi Judicii Electoralis SAXONIÆ Appellationum, quod vocant, Præses eminentissime, quam diutissime & felicissime rebus humanis interesse ac præesse jubeat, Consilia Tua ut nunquam aberrent, regat, Tuis a-

ctioni-

Etionibus, ut felicissimè exeant, interveniat, ipsosque successus confirmet, provehat, augeat, ut Potentissimi ELECTORIS SAXONIÆ omnibus temporibus delictum existas, omnes ac singulos juxta ac posteritatem, recrees, exhilares, bees! Conservet quoque Numen Divinum Illustrissimam Tuam Conjugem, Lucem & Gloriam foeminarum, quò non nisi serò ac tardè coelis inferatur, & tantò ipsi gratuletur magis posteritas, quantò uberius matrimonii dignitas felicitasque ortui Ipsius responderint. Conservet denique Illustrissimam stirpem ad ipsius Numinis Divini gloriam atque ingens Patriæ emolumentum natam, præcipuè illud geminum filiorum fidus oriens, ex quo jamjam præter ætatem conspirans undique divinarum virtutum Majorum consortium micare adeò solet, ut, si in retrò decursa secula eamus, quibus SCHÖNBERGIORUM familia tam domi quam in Germania juxta ac reliquis Europæ provinciis auctoritatem splendoremque generis longè lateque diffundere ac stirpem suam in summa eniti cœperit culmina, \* Johannem, \*\* Nicolaum, \*\*\* Casparum utrumque; juxta ac reliquos in Toga & Sago Heroës SCHÖNBERGIOS summa cum omnium admiratione cernere ac conjicere liceat, Filios illos Generosissimos tales futuros, quales ex Majoribus cognitos judicarunt. Conservet ultimò Jehova summus reliquas omnes ac singulas Generosissimas Familias, quæ Tibi Illustris DNE., Domine gratiosissime, unâ cum Conjuge Nobilissima sanguinitate & adfinite conjunctæ sunt, easque omnibus temporibus elargiatur bonitates, quibus Vestra Summa Humana consummatur felicitas! Dab. Kemb. d. XVI. Jul. M. DC. XXCIX.

\* DN. JOH. à SCHÖNBERG sub seculi proximi finem ad ipsum septemviratum Imperii Treviris adspiravit.

\*\* DN. NICOLAUS à SCHÖNBERG Capuanus dictus propter Archiepiscopatus Capuæ, quem accepit, postquam Generalis non modò dominicanorum ordinis Romæ, sed etiam post amplissimas legationes ad omnes fermè Europæ Reges defunctas sub Paulo III. inter Cardinalium numerum receptus fuit.

\*\*\* † UNUS DN. CASPARUS à SCHÖNBERG, apud Regem Galliæ summus Germanicæ militiæ tribunus SCHÖNBERGIORUM stemmati eam felicitatem intulit ac propagavit, ut posterius ejus ex Comitibus Nantolii in Halvini evaserint Duces, splendidissimis Galliarum familiis propinquitate innexi & maximis regni ministeriis admoti fuerint. Vid. Jac. Augustus Thuanus, qui ejus elogium complexus digessit.

† Alter DN. CASP. à SCHÖNBERG, qui ANNO M. DC. XX. vices Præsidis in Suprema Appellationum Electoris Saxoniæ curia sustinuit.

F.R. 104.

13

Cum

70

Ze  
2905

*Illustris ac Excellentissimus*  
**DOMINUS,**

**DN. Gotthelf Friederich**

**à SCH**

*In Ober- und Nieder-Lochn*

*Serenissimi ac Potentissimi*  
*filiarius intimus, Jugentissimus, nec no*

*Illustrem*

**DOMINA**  
**ELIS**

*Divi Illustris*

*Illustri M*  
*nuperr*

*Favent*

*Obsequiosis*

*Illustris*

*Devotissimus coram Deo*  
*Intercessor, & humillimus Servus,*

**D. DAVID WENDELER, h. t. Præp.**

**& Super. Kemberg.**

**WITENBERGÆ,**

**Typis CHRISTIANI SCHRÖDTERI, Acad, Typ.**

